



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 14. Concilium Toletanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

§. XIV.

Concilium Toletanum.

Labb. p. 751. **H**aud minori Religionis zelo Hispania eadem sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreta promulgari curabat, hancque in rem ibidem plura Concilia, ac præcipue Salmanticæ, Cæsar-augustæ, Valentia, & Toleti fuere celebrata quorum tamen acta typis impressa non reperiuntur, excepto Toletano, quod a Christophoro Rogio de Sandoval Cordubensi Episcopo Synodi illius Præside die octava Septembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto habitum est: ubi conveniant ex Episcopis Seguntinus, Segoviensis, Palentinus, Conchensis, atque Oxomensis præter Abbatem de Alcalá la Real: porro in Sessione prima recitabatur Synodi Tridentinæ decretum de celebrandis Synodis Provincialibus, nec minus proponébat etiam fidei professio, quam omnes, qui Concilio intererant, approbabant, eique subscribebant. Altera Sessio non nisi decima tertia Januarii die anni sequentis celebrata est, in qua triginta, & unus de reformatione articuli circa diversas res promulgabantur, præcipue vero circa ea, quæ Episcopos, Parochos, Officiales, Promotores, Notarios Ecclesiasticos, Sepul-

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

Sepulturas, Officia divina, Examinato-
res, Residentiam &c. concernunt. De-
nique tertia, & postrema Sessio die vi-
gesima quinta Martii habita comple-
tebatur viginti octo articulos, ubi ta-
men præprimis ea Concilii Tridentini
decreta, quæ sub Paulo III, & Pio IV.
circa

a Provinciali hoc Concilio fuisse confirmatam
ne unico quidem verbulo in actis Camera-
censis Synodi indicatur: ejus autem decre-
tum hac in re ita sonat: *Mandat hæc sancta
Synodus omnibus, & singulis Episcopis, Ab-
batibus, Capitulis, & aliis quibuscunque perso-
nis ecclesiasticis, & sæcularibus, ut præmissa om-
nia, & singula, & quæ a sacro Concilio
Tridentino constituta sunt, distincte observent, &
observari faciant.*

In Ecclesia autem Catholica inauditum
est, quod Oecumenici Concilii decreta confir-
mentur a particularibus Synodis: in illis equi-
dem agitur de eorum receptione, seu decer-
nitur, quod omnes sese eidem subicere co-
gantur, ut ergo ejusmodi universalis Conci-
lia ubique vim negativam, ut scholæ loquun-
tur, obtineant, seu ne eorum executio per
malitiam proterve resistentium impediatur,
hinc particulares Synodi Universalis Concilia
tanquam legem propriam publica auctoritate
promulgant.

Sæcul. XVI.
A. C. 1565

circa residentiam condita fuere, prælegebantur: postea autem Episcopis injectum, ut publica habeant Archiva, nullumque ad tonsuram admittant, nisi beneficio provisorius sit: insuper præscribatur Parochis fidei præcepta tradendi, Deique Verbum prædicandi modus, nec minus ibi agebatur de Canonicis, dignitatibus, quotidianis distributionibus, præcepto assistendi horis Canonicis, necnon de fabricis, ac præter alia de illis, quibus suffragii jus competit. Denique a hujus Synodi exitum quidam beneficiati nominabantur, qui in singulis diversarum Dioecesium Archipresbyteratibus hæc decreta ad usum deduci curarent.

§. XV.

Pontificis diploma in favorem Ordinis Sancti Lazari.

Bull. Const.
95. Pii IV.
Thu. l. 36.
Spond. hor.
anno n. 16.
Et 17.

Die quarta Maji eodem anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto summus Pontifex in favorem Ordinis Militaris, ac Hospitalitatis, ut vocant, S. Lazari in Jerusalem diploma edidit: porro notum est omnibus, quod hic Ordo a Christianis Occidentalibus, dum Terram sanctam suo imperio subjectam tenebant, institutus, differat a Templariorum, Teuthonicorum, illorumque equitum S. Joannis Hierosoly-